



1765/1
DECANVS

ORDINIS ICTORVM IN PERANTIQA ELECTORALI
ACADEMIA ERFVRTENSI

D. RVDOLPH. CHRISTOPH.
HENNE, ICTVS

IYDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ADSESSOR, NEC NON
CODICIS ET IVRIS FEYDALIS PROF. PVBL. ORD.

SOLEMNIA INAVGVRALIA
NOBILISSIMI ET CLARISSIMI IVRIVM
CANDIDATI

DN. IOANNIS CONRADI LOEBERI, ERFORT.

ADVOCAT. DIC. EL. ERF.

AD DIEM XI. APRILIS MDCCLXV.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI
PERAGENDA,

INDICIT, SIMVLQVE

DE

TESTAMENTO MYSTICO SIVE ARCANO

QVAEDAM PRAEFATVR.



ERFORDIAE, LITERIS NONNII, AC. TYP.

12

IN NOMINE DOMINI AMEN
ACTUM IN CURIA EPISCOPIALIS
CIVITATIS MAGDEBURGENSIS

REVERENDISSIMO PATRI
FRANCISCO DE S. ANTONIO

SECRETARIO EPISCOPI
CIVITATIS MAGDEBURGENSIS

DE JOHANNI CONRADO HOFFMANNI
MAGISTRO

IN ARDITISSIMO
MAGISTRO

TESTAMENTO MORTIS SUI
MAGISTRO

TESTAMENTO MORTIS SUI
MAGISTRO

[Faint signature or stamp]

ACTUM IN CURIA EPISCOPIALIS
CIVITATIS MAGDEBURGENSIS





§. I.

Quantis controuersis, technis & machinationibus
ultimarum voluntatum dispositiones obnoxia
sint, & quam variis artibus & caullationibus il-
larum valor eneruetur, nemo melius quam illi qui quoti-
dianis eiusmodi litibus exercentur, & defatigantur, intelli-
git, & probe animaduertit, vetum esse quod in prouerbium
abiit, dicitur: Testamenta sunt Aduocatorum nutri-
menta. Vti enim iure Romano improba heredipetarum
gens a) innumeris fraudibus alienas captabat hereditates,
ita & hodie horum captatorum malitia tanta cepit incre-
menta, vt vix ac ne vix quidem prudentissimarum legum
functiones, huic malo tollendo & radicitus extirpando pa-
res sint.

a) Plena manu indolem improbissimorum horum hominum
depictam dedit THOMASIVS in Dissertatione, de iniusto iu-
reheredipetarum, nec non BYNCKERSHOECK, in opusculo,
de captatoriis institutionibus.

§. II.

Qua cum ita sint, leges earumque latores varia ex-
cogitarunt remedia, quibus istis fraudibus obuiam iri,
& ob ex poni queat, missis igitur aliis, nunc ad eam po-
tissimum Testamenti speciem sub incudem reuocandam,
nos accingimus, per quam viuente adhuc testatore heres
A 2 omni-

omnibus incognitus manet, nec etiam per fraudes invito illo detegi potest vocatur eiusmodi testamentum mysticum siue arcanum, & definitur, quod sit ultima voluntas debitis quidem solemnitatibus adhibitis, condita, nomine heredis, legatarii & fideicommissarii autem non patefacto, sed in scheda testibus incognita, relative comprehenso, conf. LEYSER a).

a) In medit. ad ff. specim. 351. medit. 9.

§. III.

Quod ad utilitatem & salutarem huius testamenti efficaciam adinet, variis iisque maxime casibus illa se exferit, quando testatur nondum certo apud se constituit, quem præ reliquis heredem eligendum duxerit, rationibus vero admodum prægnantibus ducatur, ut hoc præcipue temporis momento solemnitates adhibeat testamentarias, quem in finem testes lege requisitos conuocat, iisque presentibus declarat, illum debere esse heredem, quem scheda suo sigillo munita, & in hac vel illa cista clausa, contenta, designet a). Habet hoc testandi genus illud etiam peculiare, ut deinde testator nullis ulterius adhibitis solemnitatibus pro re nata, priorem schedulam tollere, aliamque in illa cista deponere, ac heredem alium nominare possit, atque hoc toties repetere queat, quoties mutatis rerum circumstantiis aliud ordinandum e re sua duxit.

a) l. 38. ff. de condit. & demonstrat. l. 77. ff. de heredibus instituendis, l. 25. ff. de rebus dubis.

§. IV.

Obstare quidem eiusmodi dispositioni videtur, quod testator hoc modo fanciens, se referat ad schedulam, testibus

bus plane incognitam, nomenque heredis ipsis pariter igno-
 tum, ex principiis iuris vero, confler, quod eum in finem
 testibus in hoc negotio opus sit, ut fides, auctoritas & va-
 lor testamentis concilietur, qui scopus plane in irritum ca-
 deret, si testes nesciant, quid, quale, & qua ratione testa-
 tor disposuerit. Accederet & hæc ratio, quod referens
 non probet sine relato. Verum enim vero, quod prius
 argumentum attinet, negamus suppositum, testes ea pro-
 pter adhiberi, ut contenta testamenti præcise scire debe-
 ant, nullibi enim hoc in iure prodium est, sed potius con-
 stat, cum in finem illos solum auocari, ut de veritate & so-
 lennitate factæ dispositionis testimonium perhibere que-
 ant, deinde quod alterum dubium spectat, schedula ad
 quam testator mystice disponens se retulit, pars testamenti
 habetur, iidemque testes qui testamento adfuerunt, impli-
 cite quoque hic adfuisse existimantur, expressa enim per
 relationem, expressa dicuntur in specie, eodemque modo
 ac si referenti fuerint inserta a) ita ut paria censeantur ali-
 quid in testamento specificè exprimere, vel per relationem
 ad aliud, teste BRVNEMANNO b) adeo, ut relatam sit
 pars referentis, animaduertente TVSCHIO c) & BARBO-
 SA d).

- a) arg. l. 2. §. 2. ff. de iure codicillorum.
- b) ad l. 25. ff. de rebus dubiis n. 2.
- c) Pract. concl. tom. 6. lit. R. concl. 129. n. 2.
- d) Thefauro loc comm. lib. 16. cap. 23. axiomat. 16.

§. V.

Non solum vero hæc mystica testandi ratio per re-
 A 3 latio-

lationem ad aliam schedulam, in testamento scripto, sed etiam in nuncupatio sibi locum vindicat, ob stare quidem videntur huic assertioni variorum iurium dispositiones a) in quibus clarissimis perhibetur verbis, heredis nomen in testamento nuncupatio palam esse exprimendum, & a testibus sensu auditus percipiendum, cum nuncupare, nihil aliud sit, quam publice aliquid significare, non vero dici posse illud publice esse relictum & designatum, quod per relationem ad aliud ordinatum. Hisce tamen argumentis non obstantibus hanc testandi rationem nuncupatiue etiam fieri posse, eo confidentius asserimus, quo clarius analogia iuris nos docet, nihil interesse, an proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, cum demonstratio nominis vice fungatur b) nec etiam in effectu discrimen aderit, an in scriptis testator declaret, se illum heredem cupere, quem schedula in cista clausa & sigillo munita designet, an vero verbis ore prolatis idem coram testibus significet, cum palam etiam illud, quod per relationem tale est, habendum sit, quare etiam eandem fouent sententiam STRYCK c) BRVNNE-MANN d) BERLICH e) & HÄRPRECHT f).

a) l. 21. pr. ff. de testam. l. 29. C. de testam.

b) l. 6. ff. de rebus dubiis.

c) in cautelis testam. cap. 22. §. 25.

d) ad l. 77. ff. de hered. instit.

e) Parte 3. concl. 4. num. 22.

f) ad §. 3. l. de testam. ord. n. 141.

§. VI.

Ipse quoque Imperator IVSTINIANVS mysticam testandi rationem per modum consilii, tali in casu suadet, quando testator formidat, pupillariter substitutum infidias vitæ pupillo suo structurum, quibus infidiis non melius potest obuiam ire, quam si in inferioribus testamenti tabulis separata cera & proprio lino consignatis substitutionem hanc exprimat, & in priori parte testamenti caueat, ne inferiores tabulæ viuo filio & adhuc impubere aperiantur a). Hac enim ratione id consequitur, vt ignoti nulla sit cupido, siquidem teste SVETONIO b) eiusmodi substituti omnem nauabant operam, vt hereditate impuberis potiantur, imo eodem teste, Imperator GALBA tutorem cruci affixit, quod pupillum, cui substitutus erat, veneno necasset.

a) §. 3. Inst. de pupillari substitut.

b) In vita GALBAE cap. 9.

§. VII.

Similiter codicillorum mysticorum mentionem facit Ictus SCAEVOLA a) tali in casu, vbi maritus in testamento coniugem ex asse heredem instituit, simulque fecit codicillos, in quibus illam rogat, post eius mortem restituere alii velit hereditatem, ac insuper disposuit, codicillos post mortem demum uxoris esse aperiendos, vxor vero huius dispositionis secreta ignara, fundum vendidit, post mortem autem eius codicillis secretis apertis, fidei-

com-



commissarius heres retractandam putat venditionem, sed Ictus supra laudatus respondet, iustam ignorantiam tam heredis, vxoris nimirum, quam etiam emtoris, id operari debere, vt heres mulieris fideicommissario pretium fundi soluat, & fundus apud emtorem remaneat.

a) in L. vlt. §. vlt. ff. de legatis 2.

§. VIII

Charta angustia, qua detineor, quo minus plura in medium hac de mystica testandi ratione, proferam, & controuersiarum de mysticarum harum dispositionum effectu, ortarum, accuratiorem censum habeam, prohibet, quare hifce alii occasione seruatis, illius qui mihi hanc paginam fecit, & qui de vltima quam adduxi, mystica dispositionis specie, pluribus in lectione, quam vocant cursoria, occasione supra relata legis vlt. §. vlt. ff. de legatis 2. mentionem faciet, ratio habenda erit, nimirum speciminum inauguralium edendorum causa cathedram conscendet,

NOBILISSIMVS AC CLARISSIMVS
DN. IOANNES CONRADVS LOEBER,

IVRIVM CANDIDATVS PRAESTANTISSIMVS

Qui natales suos debet, in clytra ciuitati Werzlariensi, Angustissimi Cameralis Iudicii sedi, in qua auram vitalem spirare cepit die 26. Maii, 1726. Parentibus vltur honoratissimis

finis DN. CHRISTIANO WILHELMO LOEBERO I. V. I. &
 Dic. El. Erf. Aduocat. ord. Emerito, matre admodum conspicua
 ANNA MARIA HIRKIN. Filia natu maxima DN. DAVID HIR-
 KEN splendori Senatus S. R. I. ciuitatis Wetzlarienfis membri,
 auo paterno DN. ERHARDO CHRISTIANO LOEBERO I. V.
 D. & in nostra Hierana Prof. iuris Extraord. Seren. Princ.
 Schwartzb. conf. Reg. & Dieast. Erf. Aduocato, deinde ciuitatis
 L. S. R. I. Nordthufanae Syndico & Confistorii Praefide, gauifus
 est. Suceptoris spartam sibi imponi passus est DN. IO. CON-
 RADVS KLEMM praefectus supremus & Quaestor primarius ci-
 uitatis Nassauiae Weilburgensis, ephebus factus scholam primo
 Wetzlarienfem, deinde mutato domicilio paterno hic Erfurti
 Praedicatorum & Minoritarum scholas frequentauit, ibidemque
 ludum moderantibus DN. WEINGERTNERO & KROMEYERO
 ea quae ad humanitatem in literis spectant, fundamenta iecit, at-
 que hoc par nobile virorum de re scholastica meritisimorum
 optimos naetus est, praefectores, atque posterioris auctoritate ad
 Gymnasium, quod hic floret, Senatorium dimissus, Directore DN.
 HERMANNO NICSTILERO I. V. D. & Professoribus B. THIEM-
 ROTHIO, B. WEISSENBORNIO, B. SINHOLDIO, B. ADLVN-
 GIO & BESLERO nunc in alma Hierana nostra SS. Theol. A.
 C. Prof. publ. ord. & Ministerii Euangelici Seniore, literas hu-
 maniores vltius excoluit, tandemque Gymnasio valedixit, & ci-
 uium Academicorum albo insertus, cursum philosophicum ex ore
 B. Prof. BOHNII & Physicam experimentalem praecunte Illu-
 stri B. de LYDOLF percepit, quibus propedeumaticis scientiis pra-
 missis, Themidis sacra adeunda e re sua duxit, in eisdemque An-
 tecessores laudat viros illustres & consultiissimos B. STRECKE-
 RVM, BRÜCKMANNVM, SCHORCHIVM, SPITZLVM,
 B. SCHÜTTENIVM, B. FRATSCHERVM qui ipsi ad singulas iuris
 partes praclare prauierunt, meis etiam lectionibus, quas tunc

B

tem-



temporis adductum Institutionum Imperialium habuit, indefesso interfuit studio, ut vero & alias inuiseret Academias, vicinam adit Salanam, atque in iure Naturæ enucleando vsus est viro Illustri & excellentissimo IOACHIMO GEORGIO DARIËS, nunc viadrinam doctrina sua conspicuam reddente, in Iure Germanico & Feudali vero ipsi B. DITMARVS, in Digestis B. STENGERVS, in Iure Feudali B. Ill. BYDERVS, in criminalibus B. Ill. ENGA-VIVS doctrinis suis eruditissimis præsto fuerunt, Biennio autem Ienæ consumto Wetzlariam patriam suam repetiit, ibidemque doctrinis DN. HASS I. V. L. & camera Imp. Advocati, quibus SCHILTERI Ius Canonicum, & SCHMAYSIË Ius publicum illustravit, assiduo non solum frequentavit studio, sed & lectionibus DN. LOSKAM I. V. Lic. & cameralis Iudicii procuratoris, cameralem processum methodo elaboratorio practica præcunte Blumio, illustrantis, indefessam navavit operam. Exantlatis denique hisce laboribus Not. publ. Cæs. se creari passus est, & praxi forensi operam dedit, quo in vita genere adhuc versatur, ut vero maiori auctoritate in foro versari possit, ordinem nostrum literis supplicibus adiit, atque, ut ad consuetæ specimina inauguralia ipsi ianuan aperiarnus, ea qua decet, modestia, petiit, quin ipsum voti sui compotem redderemus, nulla nobis obstitit ratio, admissus enim ad ea, quæ Iurium candidatis subeunda sunt, doctrinæ specimina, textus sibi communicatos probe interperatus est, ac ad quæstiones in Examine rigoroso propositas ita respondit, ut ipsum iis, quos petiit, honoribus dignum indicauerimus. Publicæ igitur adhuc restant doctrinæ documenta, quibus edendis dies XI. Aprilis hora IX. matutina dictus est, qua lectione publica in *1. vlt. S. vlt. ff. de legatis 2.* commentabitur, hisque recitationibus finitis, inauguralem suam Dissertationem

DE

DE ACTIONIBVS EX DELICTO, QVATENVS
IN HEREDES TRANSEVNT,

meo sub moderamine publicæ exponet censura. Quo vero hisce
Actibus publicis debitus concilietur splendor, Magnificus, sum-
me Reuerendus & Eximius Academiae Rector, nec non singula-
rum Facultatum spectabilissimi Decani, venerabiles Seniores, ac
reliqui Proceres, vnicuique civium Academicorum corona, vt iis in-
teresse velint, ea qua decet animi obseruantia, ac humanitate, meo
& ordinis mei nomine rogatos & inuitatos volo. Publ. sub Si-
gillo Facultatis Iuridicæ Feria 1. Paschar, MDCCLXV.

(L. S.)

DEUTSCHES INSTITUT
ZUR FÖRDERUNG DER
WISSENSCHAFTEN
UND KUNSTEN
IN BERLIN

Das Institut wurde am 1. März 1828
gegründet und hat sich seitdem
zu einer der wichtigsten
Anstalten für die Förderung
der Wissenschaften und Künste
in Deutschland entwickelt.
Es hat die Aufgabe, die
Forschung in den verschiedenen
Wissenschaften zu fördern
und die Künste zu unterstützen.
Das Institut hat eine große
Bibliothek und ein Museum,
in denen die Sammlungen
der Wissenschaften und Künste
aufbewahrt sind.

(2)



ERFUERT, Diss., 1767/67

SS.


ULB Halle
004 995 333


3



VD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

1765, 1

15
16

DECANVS

ORDINIS ICTORVM IN PERANTIQVA ELECTORALI
ACADEMIA ERFVRTENSI

D. RVDOLPH. CHRISTOPH.
HENNE, ICTVS

IYDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ADSESSOR, NEC NON
CODICIS ET IVRIS FEYDALIS PROF. PVBL. ORD.

SOLEMNIA INAVGVRALIA
NOBILISSIMI ET CLARISSIMI IVRIVM
CANDIDATI

DN. IOANNIS CONRADI LOEBERI, ERFORT.

ADVOCAT. DIC. EL. ERF.

AD DIEM XI, APRILIS MDCCLXV.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI
PERAGENDA,

INDICIT, SIMVLQVE

DE

TESTAMENTO MYSTICO SIVE ARCANO

QVAEDAM PRAEFATVR.



ERFORDIAE, LITERIS NONNII, AC. TYP.

